

NOUVELLES
RECHERCHES HISTORIQUES
SUR
LA PRINCIPAUTÉ FRANÇAISE
DE MORÉE
ET SES HAUTES BARONNIES

FONDÉES A LA SUITE DE LA QUATRIÈME CROISADE.

pour servir de complément aux

*ÉCLAIRCISSEMENTS HISTORIQUES, GÉNÉALOGIQUES ET NUMISMATIQUES
SUR LA PRINCIPAUTÉ FRANÇAISE DE MORÉE;*

PAR BUCHON.

VOLUME 2^e, PARTIE 1^{re}.

PARIS,
AU COMPTOIR DES IMPRIMEURS UNIS,
QUAI MALAQUAIS, 15.

M DCCC XLIII

237. h. 139.

fuisse. Quod quidem originale, unà cum aliis publicis monumentis et græcis et latinis, ac etiam in italâ et gallicâ linguâ¹, à nobilibus viris Francho et Polo de Medicis de Athenis, ex Naupliâ Peloponnesi, hodie Neapoli Romaniae, nuncupata, ad suam excellentiam illustrissimam adlatum atque exhibitum fuit, et ad præsens penes me est integrum et illæsum in archivio aut ubi suæ excellentiæ placuerit ad perpetuam memoriam collocandum et conservandum. Et pro vi veritatis scripsi ut supra, et manu propriâ subscripsi.

Florentie, die XXV Septembris, anuo ab incarnatione Domini in Christo MDLXVII.

Ita est: Franciscus Vint... manu propria.

XLI.

Neri Acciaiuoli est créé duc d'Athènes par Ladislas.

Ladislaus, Dei gracia Hungarie, Jerusalem, Sicilie, Dalmatie, Croacie, Rascie, Servie, Lodomerie, Comanie Bulgarieque rex, Provincie et Forcalquerii ac Pedemontis comes, universis presens privilegium inspecturis, tam presentibus quam futuris :

Majoribus meritis debentur ampliora rependia. Exigit namque distributive justitie censura probabilis, ut fructus obsequiis, laboribus premium coaptentur; quia dum unum sic conversatur, ad aliud conferentis apparet circumspecta prudentia, et fides crescit in subditis cum datur beneficium proporcionabiliter universis.

1. Je n'ai pas retrouvé ces documents français.

Sane attendentes merita sincere devocionis et fidei a suis effectibus laudabiliter comprobata viri magnifici Nerii de Acharolis, militis, consilarii et fidelis nostri dilecti, grataque, utilia, grandia et accepta servicia per eum clare memorie domino regi Karolo tercio, reverendo domino genitori nostro, dum vixit, et nobis fideliter et constanter impensa, persone sue periculis, sumptibus et laboribus multiplicibus non parcendo, queve majestati nostre prestat ad presens, et speramus ipsum imposterum de bono semper in melius continuatione laudabili prestiturum, ob que Nerius idem nostre munifice liberalitatis gratiam sibi merito vindicavit, et alias considerantes, quod prefatus Nerius, zelo erga nos hujusmodi sincere fidelitatis accensus, cum summa diligencia et sollicitudine, ac cum variis laboribus et expensarum profluviiis, ducatum Athenarum, partem principatus nostri Achaye, qui occupatus contra nos per nonnullos nostros emulos tenebatur, acquisivit et cepit ac de manibus nonnullorum emulorum nostrorum viribus suis eripuit, illum ex tunc et nunc sibi sub fidelitate nostra possidens atque tenens, ut promptius Nerius idem labores et sumptus quos in premissis subiit sibi fructuosos sentiat, seque ob ejus merita decoratum honoribus et auctum nostra laudabili prosecutione cognoscat : eidem Nerio et suis heredibus ex suo corpore legitime descendentibus, natis jam et in antea nascituris, imperpetuum civitatem et ducatum predictum Athenarum, ad nos spectantem et racionabiliter pertinentem, cum terris, castris, fortelliciis, casalibus, villis, hominibus, vassallis, villanis, angarariis et perangarariis, redditibus, censibus, serviciis, feudatariis, subfeudatariis, domibus, possessionibus, vineis, olivetis, jardenis, terris cultis et incultis, planis, montibus, pratis, silvis,

nemoribus, pascuis, arboribus, molendinis, viridariis, piscariis, aquis et aquarum decursibus, tenimentis, territoriis, juribus, jurisdictionibus et presertim omnibus et singulis ad dictum ducatum spectantibus et pertinentibus quovismodo, que videlicet sunt de demanio in demanium, et que de servicio in servicium, pro valore annuo qui in registris nostris regalibus dicti principatus nostri Achaye annotantur in ligiam et in feudum novum et sub contingenti proinde feudali servicio, cum consensu et auctoritate revendissimi in Christo patris, domini Angeli, tituli sancti Laurentii in Damaso presbiteri cardinalis, apostolice sedis legati, et serenissime domine domine Margarite, Dei gracia regnorum predictorum regine, reverende genitricis, et baliorum nostrorum, damus, donamus, traddimus et ex causa donacionis, proprii nostri motus instinctu et premissorum consideracione ac presentis privilegii nostri tenore, concedimus de certa nostra sciencia, liberalitate mera et gracia speciali, juxta predicti principatus consuetudinem atque usum, lege seu constitutione, consuetudine, capitulis et inscriptis quibuscumque contrariis non obstantibus quoquo modo. Et insuper intendentes prefatum Nerium honore decorum reddere quem jam conspicuum suis virtutibus, sumptibus et laboribus quesivisse, ut, sic virtutibus claret et gloria, sic etiam polleat dignitate, eundem Nerium in ducem Athenarum, ejusdem presentis nostri privilegii serie, de ipsa certa nostra sciencia ac cum consensu et auctoritate quibus supra preficimus, constituimus et ordinamus, ipsumque Nerium et ejus posteros, honore, titulo et dignitate dicti ducatus Athenarum decoramus et etiam insignimus. Itaque tam dictus Nerius, donec vixerit, quam predicti ejus posteri duces Athenarum ex nunc in

antea bucinari, intitulari et vocari debentur, sicque in scripturis et applombis aliis de cetera nuncupari; volentes quod dictus Nerius de honore et titulo dicti ducatus, per eum cui per alias literas commisimus, per circulum aureum, ut moris est, debeat investiri, decernentes investituram ipsam taliter faciendam sortiri vim vere et realis assequutionis honoris et tituli ducatus ejusdem, tantumque rebus obtentura quantum si predictus Nerius de ipsius ducatus titulo fuisset presencialiter per nostram excellenciam investitus; ita quidem quod dictus Nerius et prefati heredes sui jamdictum ducatum et civitatem Athenarum, cum terris, castris, fortelliciis, casalibus, villis, hominibus, vassallis, subfeudatariis, juribus et pertinenciis omnibus eorum predictis, immediate et in capite a nobis et nostris in dicto principatu Achaye heredibus et successoribus, in ligiam et in feudum perpetuo teneant et possideant, nec ullum alium preter nos ac dictos heredes et successores nostros in principatu jam dicto superiorem et dominum exinde recognoscant, servireque propterea teneantur et debeant nobis ac dictis heredibus et successoribus, seu nostris in dicto principatu officialibus, de feudali servicio exinde contingenti, juxta usum et consuetudinem principatus ejusdem. Quod servicium reverendus pater Ludovicus, Athenarum archiepiscopus, consiliarius et fidelis noster dilectus, pro eodem Nerio et dictis suis heredibus in nostri presencia constitutus, prestari et fieri per nos nobis dictisque nostris heredibus et successoribus, seu predictis nostris officialibus principatus ejusdem, suis vicibus sponte obtulit et promisit; investientes eundem archiepiscopum, pro dicto Nerio et prefatis suis heredibus, de concessione ducatus ejusdem ex presenti nostri gracia, per anulum

nostrum presencialiter, ut moris est, modo premissis. Quam investituram vim et vigorem vere donacionis et realis assequucionis dicti ducatus Athenarum ac aliorum predictorum volumus et decernimus obtinere. Pro quibus quidem civitate et ducatu Athenarum et aliis supradictis, prefatus Nerius, in manibus ejus cui premissam investituram commisimus, loco et vice nostri recipientis, ad omnem ejus requisicionem ligium prestare homagium teneatur et fidelitatis debite juramentum, fidelitate et superioritate nostra ac feudali servicio pro dictis civitate et ducatu Athenarum, cum terris, castris, juribus et pertinenciis eorum predictis, curie nostre debito, nec non omnibus et singulis aliis que nobis in eis, superioritatis et majoris nostri domini ratione, competunt et debentur, usibus quoque et consuetudinibus dicti principatus aliisque nostris et cujuslibet alterius juribus semper salvis. Intendimus autem et presenti nostro privilegio declaramus, quod idem Nerius seu prefati heredes sui procurent cum solertia debita et instanti premissis nostrum privilegium vel ejus tenorem in quaternionibus nostre camere, penes nostros thesaurarios seu vice-the-saurarios ipsius principatus nostri Achaye, infra menses sex. inibi fuerit per nostram curiam ordinata, transcribi firmiter et particulariter annotari, ut de premissis inibi plena informacio suis vicibus haberi valeat; quodque tempore generalis indiccionis militaris servicii in dicto principatu per nos vel nostrum ipsius principatus balium faciente aliis baronibus, ligiis et feudatariis principatus ejusdem, prefatum Nerium et dictos suos heredes, tamquam novos dicti ducatus possessores et dominos prefatique contingenti exinde feudali servicii debitores, in quaternionibus ipsis manualiter et habiliter reperiri contingat,

alioquin presens nostra gracia nullius roboris censeatur.

In cujus rei testimonium presens privilegium duplicatum exinde fieri et aurea bulla nostre majestatis impressa tipario jussimus communiri, alio consimili sub magno nostro pendentis sigillo in cera rubea sigillato sibi tradito ad cautelam.

Actum Gaiete, presentibus : reverendo patre Mello, Consano archiepiscopo, nec non nobilibus viris, Leonardo de Afflicto, de Scalis, Curello, Airalia de Neapoli, legum doctoribus, locum tenentibus magni camerarii regni nostri Sicilie, Cicco Tortello, Raymundo Vulcano de Neapoli, militibus, nostri hospicii senescallis et quam pluribus aliis consiliariis et fidelibus nostris dilectis.

Datum vero ibidem, in absentia logothete et prothonotarii regni nostri Sicilie ejusque locum tenentis, per manus viri nobilis Donati de Aretio, legum doctoris, locum tenentis cancellarii dicti regni Sicilie, consilarii et fidelis nostri dilecti, anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo quarto, die undecimo Januarii, secunde indictionis, regnorum nostrorum anno septimo.

Au bas se lit :

Nos Angelus, cardinalis Florentinus legatus et balius, consensimus.

XLII.

Donato Acciaiuoli est substitué au duché d'Athènes, à défaut d'héritiers mâles légitimes de son frère Nerio.

Ladislaus, Dei gracia Bulgarie, Jerusalem, Sicilie, Dalmatie, Rascie, Servie, Galicie, Lodomarie, Comanie Bulgarieque rex, Provincie et Forcalquerii ac Pedemontis co-

mes, universis presentes litteras inspecturis, tam presentibus quam futuris.

Quidquid merenti tribuitur digne, ad ejus conjunctos et posteros propagatur. Quo sequitur, ut graciosam prestantur obsequia, dum collata nascuntur munera ad posteros transitura.

Sane attendentes constantis fidelitatis et grandium et utilium serviciorum merita viri magnifici Nerii de Aczarolis, militis, consiliiarii et fidelis nostri dilecti, nec non sumptus et labores varios quos subiit in acquisitione ducatus Athenarum illiusque revocatione de manibus nonnullorum emulorum nostrorum qui dictum ducatum contra nos occupatum tenebant, eidem Nerio ac suis heredibus in perpetuum civitatem et ducatum predictum Athenarum, cum terris, castris, fortellitibus, casalibus, villis, hominibus, vassallis, iuribus et pertinentiis omnibus ad dictum ducatum spectantibus per patens privilegium nostrum concedimus, ipsumque Nerium in ducatu Athenarum prefecimus et constituimus, ac cum honore et titulo dicti ducatus decoravimus, per seriem dicti nostri privilegii, hec et alia plenius continentis.

Noviter autem, considerantes quod idem Nerius legitimis masculis presencialiter caret liberis, nec volentes quod premissa per nos sibi facta concessio, sicut plerumque solet accidere, ad personas extraneas derivatur, inducentibus presertim nos ad id meritis constantis devocionis ac fidei, tam dicti Nerii quam viri magnifici Donati de Aczarolis de Florentia, militis, predicti Nerii fratris, nostrique similiter consiliiarii et fidelis dilecti, ac grandibus, utilibus et fructuosis serviciis que fratres ipsi clare memorie domino regi Carolo tercio, reverendo domino genitori nostro, dum viveret, et nobis etiam fideliter et utiliter prestiterunt hactenus,

queve nobis prestare fructuose ac quotidie non desistant, ob que, instinctu merite rationis inducimus, ut dictos fratres favorabiliter et munifice prosequemur, motique certis consideracionibus atque causis, eidem Donato, de certa nostra sciencia, ac cum consensu reverendissimi in Christo patris domini domini Angeli, tituli sancti Laurentii in Damaso presbyteri cardinalis, apostolicę sedis legati, ac serenissime domine domine Margarite, Dei gracia regnorum predictorum regine, reverende genitricis nostre, et bailorum nostrorum, presentium tenore concedimus, quod: in casu quod Nerius idem absque legitimis filiis masculis ex suo corpore derelictis ab hac vita decederet, etiam si legitime filie femine ex eo superessent, prefatus Donatus frater suus, vel ipsius Donati filii legitimi masculini sexus, qui tunc superstites fuerint, etatis et gradus inter eos prerogativa servata ac majore natu minori prelato, succedant et succedere debeant eidem Nerio in dictis ducatu et civitate Athenarum, cum prefatis terris, castris, fortelliciis, casalibus, villis, hominibus, vassallis, juribus et pertinenciis eorum omnibus, quos et que dicto Nerio, ut prefertur, concessimus, ac cum tenore et titulo dicti ducatus quo prefatum Nerium decoravimus, et ad eos in premissis casu hujusmodi successio devolvatur.

Nos enim ex nunc prout ex tunc et ex tunc prout ex nunc, Donatum ipsum et dictos filios suos legitimos masculini sexus ad successionem dictorum ducatus et civitatis Athenarum, cum terris, castris, hominibus, vassallis, juribus et pertinenciis eorum predictis, ac cum honore et titulo ducatus ejusdem, de dicta nostra sciencia, et cum consensu ac auctoritate quibus supra nostraque potestatis plenitudine, aptos reddimus, ac habiles et capaces, lege seu constitutione, consuetudine, capitulis et rescriptis quibuscum-

que contrariis nullatenus obstituris. Filie vero predictæ, si que tunc ex dicto Nerio superessent, vel in capillo persisterint, quas ex nunc, in casu obitus dicti Nerii sine legitimis masculis decedentis, siquidem dictus Donatus vel ejus legitimi filii masculi superstites fuerint, a compendio dicte successionis excludimus, per dictum Donatum vel prefatos suos filios masculos de paragio debeant maritari.

Volumus autem et presentibus declaramus quod, tempore obitus dicti Nerii sine prefatis legitimis filiis masculis, si quando beneplaciti Dei fuerit, decedentis, prefatus Donatus vel ejus filius primogenitus, aut primogeniti filius qui tunc superstes fuerit, venire ad nostram curiam teneatur, et debeat denunciare in eadem curia obitum dicti Nerii, ligumque, pro dictis ducatu, civitate, terris, castris et bonis, prestare in manibus nostris homagium et fidelitatis debite jamentum, nec non relevium propter ea curie nostre debitum eidem curie solvere, et alia adimplere ad que forsitan teneretur, ut tunc sibi de concessione vel investitura dictorum dubatus, civitatis, terrarum, castrorum et bonorum, aut aliter, prout expediens fuerit, oportune nostre littere cum clausulis et declarationibus debitis concedantur. In cujus rei testimonium presentes litteras exinde fieri et pendente majestatis nostre sigillo jussimus communiri.

Datum Gaiete, in absentia logothete ac prothonotarii regni nostri Sicilie ejusque locum tenentis, per virum nobilem Donatum de Aretio, legum doctorem, locum tenentem cancellarii dicti regni Sicilie, consiliarium et fidelem nostrum dilectum, anno Domini 1394, die 12 Januarii, 2^o indict., regnorum nostrorum anno 7^o.

Nos Angelus, cardinalis Florencie, legatus et balius, concessimus.

JOANELLUS.

XLIII.

Ladislas confie au cardinal Ange, frère de Nerio Acciaiuoli, le droit de donner l'investiture à ce même.

Ladislaus, Dei gracia Hungarie, Jerusalem, Sicilie, Dalmacie, Croacie, Rascie, Servie, Galicie, Lodomarie, Comanie Bulgarieque rex, Provincie ac Forcalquerii ac Pedemontis comes, reverendissimi in Christo patri, domino Angelo, tituli sancti Laurentii in Damaso presbitero cardinali, apostolice sedis legato, balio et amico nostro carissimo, salutem et prosperos ad vota successus.

Significamus paternitati vestre quod nos, attendentes constantis fidelitatis ac grandium et utilium servitorum merita viri magnifici Nerii de Aczarolis, militis, consilarii et fidelis nostri dilecti, nec non sumptus et labores varios quos subiit in acquisitione ducatus Athenarum, illiusque revocatione de manibus nonnullorum emulorum nostrorum qui dictum ducatum contra nos occupatum tenebant, eidem Nerio et suis heredibus imperpetuum civitatem et ducatum predictum Athenarum, cum terris, fortelliciis, casalibus, villis, hominibus, vassallis, juribus et pertinenciis omnibus ad dictum ducatum spectantibus, per patens privilegium nostrum concessimus, ipsumque Nerium in ducem Athenarum prefecimus et constituimus, ac cum honore et titulo dicti ducatus decoravimus per seriem dicti nostri privilegi hec et alia plenius continentis. Noviter autem advertentes quod predictus Nerius, propter loci distantiam et viarum discrimina, ad nostram nequit venire presenciam, de huiusmodi ducatus titulo per circulum aureum, ut moris est, recepturus investituram a nobis, nec non ligium pro dictis

ducatu, civitate, terris, castris et aliis supradictis, prestaturus in manibus nostris homagium et fidelitatis debite juramentum, et intendentes quod Nerius ipse predictam nostram realiter consequatur gratiam et collato per nos sibi promisso fungatur honori, nec de paternitate vestra minus, ex palpata diucius experientia in iis et majoribus, confidentes: vobis, quod possitis et valeatis, loco et vice nostri, eundem Nerium de titulo et honore dicti ducatus Athenarum investire per circulum aureum, et ab eo, pro dictis ducatu et civitate Athenarum, cum terris, castris et aliis omnibus quas et que sibi concessimus, ligium nostri parte recipere in manibus vestris homagium ac fidelitatis solite juramentum; et in casu occupationis vestre ad alia, uni vobis fido vices vestras in hac parte committere, plenam, harum serie, de certa nostra sciencia, ac cum consensu et auctoritate serenissime domine domine Margarite, Dei gracia regnorum predictorum regine, reverende genitricis et balie nostre, licenciam concedimus et liberam potestatem. Quocirca paternitatem vestram affectuose precamur quatenus, recepto prius loco et vice nostri per vos vel alium quem ad hoc deputaveritis, ab eodem Nerio, pro supradictis ducatu, civitate, terris, castris et bonis, per nos sibi, ut prefertur, concessis, jam dicto ligio, homagio et fidelitatis debite juramento, Nerium ipsum de honore et titulo dicti ducatus Athenarum quo eum decoravimus velitis, vigore presentium ac loco et vice nostri, per circulum aureum investire seu investiri facere, ipsumque in ducem Athenarum mandare publice bucinari, ac predictum Nerium vel ejus procuratorem pro eo, si expedierit, assecurari ab hominibus et vassallis predictis, juxta usum et consuetudinem principatus nostri Achaye, recepto prius per vos,

vel alium loco vestri, solito fidelitatis juramento pro nobis nostrisque heredibus et successoribus ab eisdem, nec non fieri, pro cautela nostre curie et dicti Nerii, de exequuione presencium cum earum tria publica consimilia instrumenta, quorum uno vestre paternitati vel illi quem ad promissa loco vestri deputaveritis, pro cautela retento, alio dicto Nerio traddito, tertium mandetis ad nostram curiam destinari inibi conservandum, has nostras litteras magno nostro pendenti sigillo munitas vobis, in premissorum testimonium, concedentes.

Datum Gaiete, in ausencia logothete et prothonotarii regni nostri Sicilie ejusque locum tenentis, per virum nobilem Donatum de Aretio, legum doctorem, locum tenentem cancellarii dicti regni Sicilie, consiliarium et fidelem nostrum dilectum, anno Domini 1394, die duodecimo Januarii secunde indicionis, regnorum nostrorum anno 7^o.

XLIV.

Ladislas nomme le cardinal Ange son baill et vicaire-général dans la principauté d'Achaye.

Ladislav, Dei gracia, Hungarie, Jerusalem, Sicilie, Dalmatie, Croacie, Rascie, Servie, Galicie, Lodomanie, Comanie Bulgarieque rex, Provincie et Forealquerii ac Pedemontis comes, ecclesiarum prelati et despoti, nec non balie, magno comestabulo, prothonotario, cancellario, magnatibus, baronibus, vicariis, castellanis, lignis, capitaneis, thesaurariis, prothovestiaris, magistris massariis, bajulis, judicibus, officialibus et fidelibus nostris singulis per partes principatus nostri Achaye constitutis, presentes lit-

teras inspecturis, presentibus et futuris, fidelibus nostris dilectis, gratiam et bonam voluntatem.

De recuperacione ac statu tranquillo et prospero dicti principatus nostri Achaye ac nostrorum fidelium principatus ejusdem necessitudines et modos congruos exquirentes, nec minus de paterno zelo, devocioni, ardore et sincere caritatis affectu quem reverendissimus in Christo pater, dominus Angelus, tituli sancti Laurentii in Damaso presbiter cardinalis, apostolice sedis legatus, balius et amicus noster carissimus, erga nos gessit et gerit ut de nobis non immerito confidentes, eundem dominum cardinalem, quem in agendis nostris et eorum prosequuione novimus ponderosas curas et arduas sollicitudines subiisse, vicarium nostrum dicti principatus nostri Achaye et civitatis Neopanti, cum plena meri mixtique imperii et gladii potestate, ac jurisdictione plenaria tam ad justiciam quam ad guerram et ad dependencia et emergencia quelibet ex eisdem, nec non cum pluribus aliis auctoritatibus et potestatibus per nos sibi traditis et concessis, duximus usque ad nostrum beneplacitum, de certa nostra sciencia, ac cum consensu et auctoritate serenissime domine domine Margarite, Dei gracia regnorum predictorum regine, reverende genitricis et balie nostre, per alias nostras sue commissionis litteras duximus ordinandum. Ideoque vos prelatos et despotos requirimus, et ortamur vobis supradictis aliis magnatibus, officialibus et fidelibus nostris harum serie, de dicta certa nostra sciencia ac cum consensu et auctoritate quibus supra, precipientes expresse quatenus eidem domino cardinali tanquam vicario nostro dicti principatus nostri Achaye et civitatis Neopanti per nos, ut predicatur, ordinato, ac officialibus per ipsum in dicto principatu statuendis in omnibus que tam ad predictum vi-

cariatus officium et alia que dicto domino cardinali commissimus, quod ad officia que idem dominus cardinalis officialibus predictis commiserit pertinere noscuntur ad honorem et fidelitatem nostram, bonumque statum et prosperum principatus ejusdem, vos prelati et despoti velitis, vos que predicti magnatus, officiales et fideles nostri curetis intendere, assistere, obedire efficaciter et parere, ut idem noster vicarius predictum vicariatus officium et alii officiales predicti committendo ipsis officia laudabiliter gerere valeant, nec non vobis prelati et despoti teneamur ad grates, vosque fideles de obediencie promptitudinis merito commendamus. Nos enim penas et banna quas et que idem noster vicarius et alii officiales predicti infra tempus officiorum eorum rite tulerint rata geremus et firma, illaque per ipsos pro nostra curia irremissibiliter exigere volumus, prout justum fuerit, a transgressoribus eorumdem, presentibus, post oportunam inspectionem earum, pro cautela remanentibus efficaciter dicto nostro durante beneplacito valituris, quas magno nostro pendenti sigillo jussimus communiri.

Datum Gaiete, in ausencia logothete et prothonotarii regni nostri Sicilie ejusque locum tenentis, per virum nobilem Donatum de Aretio, legum doctorem, locum tenentem cancellarii dicti regni, consiliarium, fidelem nostrum dilectum, anno Domini 1394 die 14 Januarii secunde indictionis, regnorum nostrorum anno 7°.